



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Bidermani E Soc. Iesv Ignatius Sive De Vita Et  
Gloria S. Ignatii Loiolæ Soc. Iesv Conditoris Libri Tres**

**Bidermann, Jakob**

**Antuerpiae, 1635**

Prudentia. Cap. V.

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10788217-5**

quam aduertisset. Quo fiebat, vt suauissimis affectibus Socios sibi omnes delinitos, ad quoduis imperium nutumque alacres haberet, atque ad perfectionis ardua promptos facilesque duceret.

## IGNATII prudentia. CAP. V.

25. **V**ERVM non ita tamen co-  
mem se suis præbebat,  
quin, vsu interim poscente, seuer-  
rus esse auderet. Artificio enim  
mirabili, ad cuiusque captum aut  
indolem suauior modò, modò ve-  
hementior apparebat: illud mode-  
stis, hoc contumacibus opportu-  
num ratus; cum neutrīs tamen  
non amanter paterneque agebat.  
Etsi autem in primis Socios om-  
nes sibi optabat tales, quos in v-  
trumque liberos iuxta pronosque  
haberet: dabat tamen operam, vt  
explorato cuiusque ingenio, id  
alijs alijsque imperaret, quo sponte  
animi propemodum fereban-  
tur; gnarus id omne difficile factu  
esse, quidquid reluctantibus ani-  
mis

mis tentaretur; nec violenta ad senium peruenire. Sed nimis longa oratione sit opus, ad hanc optimi Parentis virtutem germanis coloribus depingendam: quando & cetera hoc genus ornamenta sic unus omnia habuit, quasi singularis tantum unice studuisse; itaque in singulis eminuit, ut palmam Virtus altera alteri visa sit dubiam fecisse.

26. Certè autem in eo, & prudentia quædam singularis, ad leges Societati ferendas, emicuit: & suam animus fortitudinem duabus in rebus præcipue ostendit: siue cum aduersa nitebatur perrumpere, siue cum arduis interritus occurrebat. Iam deinde humanitas illi inerat ea, quâ plerosque sibi omnes, & hostes etiam ipsos, obstringebat; fractaque illorum perticaciâ, quo quemque vellet impellebat. Porro quod laudabiliter semel incepisset, ab eo nullis difficultatibus retardari se sinebat, quin effectum daret: solitus eam in rem modos viasque sedulò

sedulò ac prospicenter quærere,  
quibus negotium expediret: ijsque  
semel inuentis, deinde constanter  
vti. Fiduciâ aduersus D E V M in-  
credibili erectus, numquam aliam,  
neque in carcere sui defensionem,  
neque ærumnis vndiquaque cir-  
cumuentis, humanam sibi opem  
flagitabat, diuinâ contentus. Ideò  
inter supremæ egestatis iniurias,  
cùm præsertim Socijs alendis om-  
nia defierent, cælo fretus, inspera-  
tò, omnia suppeteret interdum af-  
fluereque sentiebat.

27. In lingua (re vnâ omnium  
maximè lubricâ) non vim maio-  
rem, quâm moderationem osten-  
dit. At in alijs diuidicandis, aduigi-  
labat gnauiter, ne quem damna-  
ret: neu de vitijs, etiam palam per-  
tulgatis, aut loqueretur temerè, aut  
loquitantes auscultaret. Nam pru-  
denti quadam digressione ab ijs  
sermonibus diuertebat; quibus ali-  
qui obtrectare, etiam vilissimorum  
hominum famam, audiebantur.  
Hæc aliaque IGNATIVM pluri-  
ma

ma commendabant : quæ in ceteris etiam singula admirationem habuissent.

IGNATII *studium precandi.*

## C A P . V I .

**C**ETERVM in studio precan-  
di , necesse habeo morari :  
quippe in eâ virtute, quâ princeps  
quædam D E V M inter atque ho-  
minem necessitudo coitur, & quâ  
vnâ pleraque D E I dona mortali-  
bus conciliantur.

28. Inundari se sacris delicijs  
inter preces, cùm ipse dissimulare  
non posset I G N A T I V S : modestè,  
id sibi donum dictitabat conces-  
sum, miserijs suis letiandis : velut,  
quem anni morbiique ad cetera  
fractum adepti, solis precibus ad-  
huc idoneum reliquistent. Sacris  
inauguratus , cùm quotidie statas  
Ecclesiæ preces diceret, vberrimis  
lacrymarum riuis occupatus , ad  
verba pænè singula consistere, at-  
que ideintidem interiungere co-  
geba-